



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam  
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem  
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum  
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de  
Lugduni, M.DC.LXXX.**

III. De necessitate Dei ad optimum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94285](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94285)

medium. Nazian. orat. 2. de filio Dei 4. de Theolog. circa med. quibus consonant Anselm. 7. Prolog. & comment. ad Timot. *Negare seipsum non potest*, vbi & Sanctus Thomas Magister in 1. d. 42. §. 2. & 3. vbi communiter Scolastici citati à Ruiz proxime n. 7. & recitati d. 39. sect. 1.

1. Inulit autem ex sepe à se statuto principio Augustinus nimirum impotentiam ad defectum quonvis, maximam potius potentiam, quam veram impotentiam esse: id quod rationem à priori nostræ continet conclusionis, atque exemplo impotentia Dei ad defectum Physicum illustravit 5. de ciuit. cap. 10. *Neque potestas Dei minuitur, cum dicitur, mori, fallique non posse, sic enim hoc non potest, ut potius si posset, minoris esset utique potestatis*: Dicitur enim Omnipotens faciendo, quod vult non patiundo, quod non vult: quod si accideret, nequaquam esset omnipotens: unde quidam non potest, quia Omnipotens est: quo principio ad præsens institutum ita usus fuit Anselmus, vt efformanda pro conclusione nostra rationi vix labori nostro locum reliquerit Dialog. de lib. arbitri. cap. 1. post med. scribens: *Quoniam liberum arbitrium diuinum, & honorum Angelorum peccare non potest, non pertinet ad definitionem liberi arbitrii posse peccare. Denique nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas*. Probat sub inferius primo, quia qui sic habet quod deest, & quod expedit, & hoc amittere nequeat liberior est, quam ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere, & ad hoc, quod deest, & non expedit, valent adduci: Probat secundo hac ratione inferius. *An putas, quod additum minuit, & sublatum augeat libertatem, id, aut libertatem esse, aut partem libertatis? Non hoc putare possum. Potestas ergo peccandi, quæ addita voluntati minuit eius libertatem; eisi diuidatur, augeat, nec libertas est, nec pars libertatis.*

3. Ex his sic instruitur conclusionis nostræ ratio à priori: libertas stat in potestate ad vtrumvis extremum, vel contrarietatis, vel contradictionis: ergo solum potest augeri extensiuè augmento potestatis: At impotentia ad peccandum est augmentum potestatis, & potentia ad peccandum est defectus potestatis: ergo nequit augere adhuc extensiuè libertatem. Minor est expressa Patrum præfatorum, & exemplis, quibus illam probant perspicua: etenim ex eo, quod Deus posset destruere seipsum, falli, mentiri, suamve Omnipotentiam deponere: nec maiorem extensiuè adhuc suam Omnipotentiam, aut dominij potestatem esse sanus Theologus admittat, nec præfati Patres patiuntur. Nam ea posse impotentia est absolute, siue potentia imminuta: ideo enim ea creaturæ possunt, quia earum potestas imminuta, & quasi dimidiata est impotentia admixtione: inde enim mori, falli, mentiri, ac sui dominij potestatem possunt deponere. Deus autem, quia eius omnipotentia ab omni impotentia suppurata, & excocta est; ac similiter potestas supremi dominij, vique, & facultas cognoscitiua ab omni defectu, & impotentia cognoscendi obiecta, ea agere nequit ac subinde eiusmodi potentia in Deo in genere potestatis sunt extensiuè etiam maiores: quia eam habent partem potestatis, quæ similibus creatis potestatibus, & potentis deficit. Non quidem quod paribus physice, vel metaphysice aliqua ex eis diuinis potentis, & potestatibus coalescat: sed, quod è conceptu suo indiuisibili (vt de reliquis diuinis sepe monui) cum impotentia, & defectum potestatis excludat.

4. Confirmatur: Nullus verus conceptus potentia esse in creaturis potest, quod in Deo exemplar non habeat formæ, lequod, est longe in illa linea imperfectius, tamen imitetur: sed in Deo non est exemplar formale potentia peccandi: ergo creaturis non est potentia, sed impotentia, & infirmitas, quod egregie docuit Dionysius de potestate nostra ad malum, vbi proxime his verbis. *Non tamen efficientes sunt malorum rationes, atque facultates, sed imbecillitas, & infirmitas*. Huic rationi aditipulantur præter citatos Patres ij omnes, qui asserunt potestatem peccandi esse potestatem deficiendi, non efficiendi: sunt autem pene innumeri citati à nostro Ruiz disput. 28. sect. 1. & 2. & fere Theologi omnes, & præsertim Sanctus Thomas frequens, legendus maxime 1. part. quest. 62. ad 3. & 1. 2. quest. 75. art. 2. & quod potissimum est, Damascenus pro opposita sua sententia citatus à nostris Valquez & Suarez ex 2. de fide cap. 27. vbi nostra potius fauet: so-

lum enim rationem reddit peccabilitatis creaturæ, siue libertatis creatæ ad peccandum, quod creatura rationalis fuerit ex nihilo producta: vti etiam Patres, & Theologi passim docent: quia verò parte ex nihilo sunt, potentiam positam non habent: sed solum potentia negationem possunt habere.

5. Confirmatur vltierus: quia ad id totum actionis præter nostræ, aliquod effectiue potest libertas creatæ, potest & diuina, de factoque concurre, vt dogma Theologicum est: solumque determinatio, quæ eandem suam actionem cum Deo effectiue ponit, quaque à bono suo vero infirmitate sua deficit, ac deficit propria creaturæ, propterea ipsa est: ergo in iis omnibus, quæ ad potestatem effectiuam libertatis spectant, æqua virtute ex parte etiam obiectorum, ad quæ vtræque potestas libertatis extenditur, potius est: etiam infirmitatis, & impotentia, ex qua ea actio, propterea à creatura est, pronata, defectum libertatis diuinæ potestas non habet: qui quidem absolute augmentum non est, sed curtiat potius potestatis: confirmatur vltierus: quia potestas libertatis est potestas voluntatis, potestas autem voluntatis potestatiua solum est potestas ad bonum: quare nec peccant ad malum, quæ tale, volendum habet potestatem ad libertatem: sed ad volendum bonum delectabile in se circumstantiis, in quibus à recta ratione, & lege deficit ac deuiat, quia hanc amet deficientiam: neque autem possit quæ talem; ita illam materialiter volens sibi faciat voluntariam: secus autem Deus, qui neque non vult in iis circumstantiis ad bonum illud prosequendum voluntatem nostram determinari, siue illud velle: ergo, quoad facultatem volendi, quæ volitiua, & effectiua, ac subinde potestas proprie est, æqua est obiectiua sibi creatæ, & increate libertatis, adhuc respectu boni & mali: etiam, quoad facultatem defectiuam, quæ potius infirmitas est, ac impotentia ad aliquid vltierus (quod nihil potius est) creatæ extendatur libertas, quam diuina, quæ eius impotentia, & infirmitas defectu ampliorum sane habet potestatem: quare & est diuina libertas, quoad potestatem, & facultatem, quam libertas & cit: non solum intensiuè perfectior, sed extensiuè auctior.

6. Hæ quidem rationes in Patrum testimoniis impletis, ac penetratis extant pro maiori extensiuè libertatis diuinæ, quam creaturæ, adhuc respectu boni, & mali moralis, etiam Deus ad bonum, quoad speciem determinatus sit, atque impotens ad malum, vt dogma Catholicum fert. Plures alias rationes, & confirmationes, cum ex eis testimoniis, tum ex Theologorum istius doctrinis instruitur pro eadem conclusione Ruiz noster citatus: quæ, nisi ad has à nobis formatas reducatur, nihil præter maiorem perfectionem intensionis libertatis diuinæ, quam creatæ, probant relaxat ad bonum, & malum morale: quare eam de intensiuè maiorem, non autem secundum hanc, quoad speciem, difficultatis maioris: quæ verò contra hanc secundam conclusionem opponi possunt ex datarum probationum doctrina, & intelligentia labalcent.

### QVÆSTIO III.

#### De necessitate Dei ad optimum.

EX hac etiam parte maioritas extensiuè libertatis diuinæ, quam creatæ impet potest, si enim ad optimum, siue ad melius ex obiectis propositis Deus necessitatus suæque natura determinatus sit, curtiat sphaeræ obiectiue eius libertas, quam creaturæ: optimum erit; quin ad ampliorem potestatem recurrat, quem ostendimus in impotentia Dei ad peccandum, vt inde pluribus quasi paribus potestatis diuinæ libertatis potestatem constare, vel integram eius potestatem effectiue potestatis diminutionem per impotentiam & infirmitatem, quæ libertas peccandi constituitur ostendimus, ac subinde in genere potestatis, non intensiuè solum sed extensiuè etiam, quam potestas libertatis ad peccandum

candum esse maiorem, quemadmodum totum quodvis atque integrum parte, & decurrit quovis generis illius extensio etiam maius in eo etiam genere absolute est. Hæc autem ratio in præfati non currit; cum facultas, & potentia cuiusvis boni moralis prosequutina, non infirmitas, sed virtus voluntatis sit, nec potentia defectiva, seu defectus potestatis, sed effectiva potestas, & potentia: quocirca ex impotentia Dei ad aliquod bonum, etsi alio minus, extensio minor divina libertas, & potestas, quam libertas creata sit, videtur contineri: et hoc spectat id ad maiorem intensiue libertatem divinam.

## CERTAMEN I.

### Quæstionis scopus, & sensus.

1. **N**on est autem quæstio de necessitate Dei ad optimum, utrumque volendum, sed solum efficaciter. Nam Deo volitionem ad omnia, etiam, quæ non sunt, sed pure possibilis sunt, & in ea quæ de facto sunt, secundum possibilitatis suæ statum fieri necessario, vel libere pro opinionum diversitate (contra quas supra egimus) valde committere sententiæ quin à Doctore villos, etiam ex his, qui pro necessitate Dei ad optimum sunt, ratione optimi, vel melioris ad alterutro modo divinam volitionem erga possibilia admittendam, vel abiciendam fateatur: etsi autem nos ad ipsam possibilitatem divinam voluntatem alterutro modo fieri negemus; aut in omnium existentiam fieri pro libito inefficaciter desiderio posse, optimi ratione non attenta asserimus. Ex quo inferius forte efficaciter conclusionem nostram confirmabimus, cum autem de necessitate ad optimum inquitur, de optimo efficaciter adeo volendo rebus secundum se, & bonitatem suam seu physicam, seu moralem, seu conducentiam ad bonum intrinsecam, secundum etiam Dei terminant volitionem disputatur: Nam, quæritur a voluntate divina, quæ in ipsis impletur, denominatur, extrinsecus creata præ non creatis, & factis optima esse citra dubium est: eo siquidem sensu Damascenus Dialogo contra Manichæos, circa med. ac. versus finem Anselm. cap. 10. & 11. reliqui Patres, immo & Catholici omnes, quidquid Deus vult eo ipso bonum, & iustum esse fateantur.

2. **P**rimus quæstionis sensus. An Deus ita ex infinita sua bonitate, & ad bonum summe expedita, promptaque voluntate, aliis semotis, feratur in optimum, ut non possit non illud efficaciter velle, & producere? quo sensu Theologorum, Catholicorumque nemo Deum teneri ad efficaciter amandum, & præstandum optimum admittit: si enim recideret in errorem VII. c. 1. faterique tenebatur, optimum hoc ex creatis ab æterno esse, Deo nimirum coævum contra scripturam: neque aliud producere potuisse, quam produxit: nec potuisse facere meliorem, immo nec aliam, quam facturus sit, feceritque facere posse: quod si suo ordine necessario fieri à Deo possibilia auctas, ut prius ex eis optimum faciendum sit, deinde quod ipsi in bonitate proximis: fiet inde possibilia tandem omnia, etsi posterius, & posterius natura esse facienda saltem in genere, & specie sua: ut nequeat non speciem omnium aliquod individuum absolute maneat; immo neque illius aliquod individuum: siquidem numero maiore creata bonitas absolute maior est, & augebitur: quæ omnia, & singula absurdissima, & contra omnes Patres, & Theologos sunt, ut supra contra VII. c. 1. sum ostendimus, & Dei in creaturis faciendis libertatem prorsus eliminant.

3. **S**ensus igitur quæstionis huius inter Catholicos non est de omnimoda necessitate Dei ad optimum, cum quoad speciem, tum quoad exercitium, siue contrarietatis, & contradictionis: utraque enim asserita, nulla Deo in suis operibus libertas dogmatica relinquitur: ergo de necessitate Dei quoad speciem, seu quasi contrarietatis ad optimum præfens est quæstio, ut quævis, tam optimum, quam deterius omnia possit absolute efficaciter

non velle, seu nolle producere, ac subinde universa, & singula libere absolute, atque ita, ut non producere poterit, omnino producat, ut fides docet; aut eam in eis edendis necessitatem absolute patitur, ut casu, quo aliquid efficaciter voluitur produci, ex ibi propositis optimum, seu melius ex ipsis velle efficaciter, & producere teneatur, non autem deterius: & id quidem dupliciter adhuc intelligi potest, vel absolute è solius bonitatis, & voluntatis divinæ inclinatione, quæ ad optimum, seu melius sit determinata, vel saltem ex aliqua suppositione: nimirum intentionis libere efficacis Dei alicuius finis consequendi, vel alicuius rei, aut rerum tam productarum: verbi gratia, supposita universi huius voluntate efficaci Dei libera, cuiusque subinde productione. Quibus suppositis necessitas Dei ad optimum, seu melius absoluta non erit: quandoquidem libertatem Dei in intentione finis, vel in voluntate efficaci condendi universum exercitum ea necessitas supponit: quare solum erit Deo eiusmodi necessitas ex suppositione.

4. **S**ecundò adhuc ex suppositione alicuius intentionis, & voluntatis, & alia suppositione quæstio procedit. Nempe, quod in aliquo, vel aliquibus generibus faciendorum optimum esse possit, siue in essentialibus rerum prædicatis, siue in accidentalibus, aut earum dispositione, administratione obiectiva: si enim optimum, ex quo perfectius aliud, siue essentialiter, siue accidentaliter esse nequeat, possibile non sit, quæstio de subiecto non supponenti, atque in terminis implicans erit: & cui proinde respondendum necessario sit suppositi negatione, ut vere, beneque respondeatur. Hinc tertio adhuc ex finis efficaciter intenti sub quavis etiam mensura obtinendi, si plura æque ad ipsum obtinendum equalia prorsus media sunt, ad nullum præ alio efficaciter eligendum, & apponendum Deum necessitatum manere extra quæstionem est: siquidem ex intentione, quantumvis efficaci, finis ad id solum determinatur voluntas, ut eligat, & apponat id, sine quo obtineri finis nequit: ex eo autem, quod æque medio alterutro possit, solum determinatur, ut alterutrum eligat, & apponat, nec utrumque omittat: quare vnius præ alio electio, & appositio libere voluntatis electioni relinquatur. Aduerto tamen nostrum Ruiz d. 9. sect. 1. num. 6. ad mensuram finis efficaciter intenti perperam computare, quod finis per hæc determinate media præ aliis obtineatur: ea siquidem finis solum intentio non est, sed & illorum præ aliis mediotorum efficaciter electio: quæ posita, & determinata, aliorum electio est, consequenter impossibilis: quare quæstioni præfenti (quæ de necessitate antecedente ex suppositione intentionis seu alterius voluntatis efficaciæ anterioris Dei de aliquo etiam sub tali mensura obtinendo tota est) locus non remanet.

## CERTAMEN II.

### Doctorem placita aperta.

1. **I**n quæstione igitur præfenti plures excogitari possunt pro affirmante parte opiniones duæ pro absolute Dei necessitate ad optimum ex intentione finis, vel voluntate alia efficaci, verbi gratia, creandi mundum præsuppositis pro duplici generis necessitate, nimirum physica, & moralis: Physica est in præfenti, quæ Deus decreverit, si casu, quo ex propositis obiectis creatis electurus esset non optimum efficaciter eligeret, atque operaretur, sed deterius. Moralis solum est vehemens quædam voluntatis divinæ inclinatio ad optimum præ minus bono, cui, moraliter loquendo, nequeat nisi ægerime resistere, etsi physice absolute possit: quemadmodum mater, etsi physice filij imminentem iugulationem à se impedibilem videas, possit non impedire; aut non impedire moraliter, nequit: quare necessitata moraliter est ad eam impedendam ex naturali materno affectu erga filium: vocatur autem necessitata moralis, quia contra tam vehementem inclinationem ad oppositum obniti tantaque illam difficultate superare, vel nunquam mos est, quia est absolute fieri physice possit, vix rarissime contingit.

Continget: idcirco in iure leges, & præcepta de rebus non, nisi maxima difficultate superata, exequendis de re impossibili absolute censentur, quia iudicio hominum, vñ communi edoctorum, pro impossibili eorum executio reputatur. Non addidi tertium necessitatis metaphysicæ membrum, quia respectu Dei in suis decretis efficacibus ab alia superiori causa independentis physica, & metaphysica necessitas, & determinatio eadem prorsus antecedens determinatio, & necessitas est; etsi in causis creatis determinatis ad agendum, (cuiusmodi naturalium causarum est) antecedens physica necessitas, valde à metaphysica sit diuersa, vt de medijs formalibus, vt futura à Deo cognoscantur, præsertim contingentia, opportune obseruamus, ostendimusque controu. 2.

2. Prima sententia asserit Deum determinatum esse, ac necessitatem physicæ, quoad speciem ad optimum, immo & metaphysicæ (quasi hæc supra physicam aliquid addat) ad optimum efficaciter volendum, & præ minus bonis eligendum, quin aliquam suppositionem voluntatis efficacis diuinæ requirat: ita expresse noster Antonius Perez Valiende d. 6. de volunt. cap. 5, conclus. 1. num. 41. eamque probat ex Patrum testimoniis, & sententiis, quas per sectiones fere totas disputationis 9. & 10. longissimarum recitat Ruiz ad capita summam in se redactis cap. 4. eo enim omnes tandem euadunt: Deum, si non eligeret, ac faceret meliora, deterioribus omissis, non fore Deum, & quidem, si Patrum sententia hæc sono, ac significatu rigido, atque, vt absolute sonat, accipienda sit, nec occasione eam proferendi, aliusque ex contextu, & intento Patrum attentis, quæ certamine 3. expendimus, id omnino probant. Secunda huius Authoris probatio ex eo principio ab ipso statuto cap. 1. 2. & 3. ductoque discursu ad dictis ab eodem disput. 5. nempe, omne à Deo eligibile æqualis bonitatis esse respectu Dei electuri quætionem destruit, Patrum testimoniis, quibus suam conclusionem hic probat, aduersatur, ac insuper his etiam prætermisissis oppositam probat conclusionem. Nam si respectu Dei electuri, & electionis diuinæ de quouis obiecto perfectioni, vel imperfectiori æquale virtutemque est æquæque bonitatis, & honestatis erit diuina alterutrius electio: vnde determinatur ad perfectiorem electionem determinatur. Cæterum si attendit hic Author ibi, & locis ad quæ se refert, legatur, præteriti quætionem non responderet, sed alteri de æqualitate diuinarum volitionum, circa quæ, vis obiecta, ad dispositionem de moribus Dei virtutibus spectanti: in præteriti ergo physicam Dei ad optimum necessitatem absolute, nullaque facta suppositione asserentem (hoc Recentiore excepto) nullum Authorem reperio; etsi Doctorum reliquorum pro alijs affirmantibus fundamenta, hanc etiam, vel nihil, (quod verius est) probent: inuenerunt tamen Recentiores ab Herize d. 20. cap. 5. de optimo in genere moris (non in physico) efficiendo necessitatem Deo absolute assignant.

3. Secunda sententia physicam necessitatem nullatenus Deo esse, admittendam verò esse in Deo moralem ad optimum, præ imperfectiori, eligendum, necessitatem. Ita noster Granadus l. p. d. 3. verum si eius ratio attendatur, nomen solum, non autem rem necessitatis physicæ Dei ad optimum (quam solis vocibus negat) exhorruit; si quidem, ex Patrum testimoniis, & rationibus pro sua hac morali necessitate adtribuenda Deum non fore Deum si ab optimi præ minus perfectio electione deficeret, absolute concludit: quod è physica solum necessitate ad optimum concludi potest: qua etiam in re se, vel suam de necessitate physicæ mentem moralem voce texisse, vel auribus, singularitatis, & nouitatis timidum, temperasse, vel proprium necessitatis moralem significatum non attendisse satis ostendit: etenim eius significati explicatione, à nobis num. 4. ex proprie dicta morali necessitate defecit: referri potest: quare Granadum pro prima sententia censco recensendum. Pro hac verò secunda sententia proprio sensu morali necessitatis Dei ad optimum de se, ac nulla suppositione alterius anterioris efficacis voluntatis diuinæ moraliter necessitati vnum (æstimatione tamen mihi mille) Authorem video Patrem Sebastianum Izquierdo doctæ scientiarum sua Pharo notissimum, ex an-

triquo familiarem ac in Philosophico, & Theologico Magisterio collegam meum: quem propterea, ac propter ingenij præstantiam ingeniosos Murcianos Recentiores pluribus in locis nominati, & quia tunc, cum prælo scriberem, Primariam Marcæ cathedram regebat. Hic ergo ingeniosus Magister moralem necessitatem vniuersi Dei ad optimum asseruit, vt autem erat ingenio præditi, & subtili morali necessitatis à physica valde distinctam percipit, & explicuit, vt nos citato n. 4. explicationimus, sicque facile illationem à necessitate morali minus bene intellecta ad physicam, ac metaphysicam vitans, ac subinde defectum in se Deum, si minus boni electio- ne necessitati morali non inferretur: quo etiam sensu moralem necessitatem hanc Dei ad optimum admissit Beatus 1. p. c. 12. num. 6.

4. Tertia sententia ex suppositione voluntatis creati vniuersum hoc optimum quod in eo est ex physica necessitate Deum velle efficaciter producere debere asseruit; ita planè Raymundus Lullius: ex eo siquidem principio generali incarnationis (quod optimum mundi huius creandi atque creati opus erat) efficacem voluntatem diuinam, & executionem ex necessitate physica Dei mundum efficaciter decernentis obuenisse intuebatur, vt ex eius scriptis constat, ac insuper ex eius doctrinæ addiditissimis intelligentissimis testibus: à quibus vñ rationem, & etiam hanc Lullij mentem didicisse testis omni exceptione maior nobis est Valquez tom. 1. in 3. p. d. 1. cap. 1. cum quo obinde in eum sensum interpretari sumus Lullium controu. 1. de incarnatione d. 1. q. 1. certant. Noster Ruiz de Montoya eruditissima sua d. 9. citata, quam volens sententiam inducere à Lulliana hac (me iudice) immò neque à prima deuiauit. Ait siquidem ex suppositione creationis vniuersi huius, si optimum non velle efficaciter, sed loco illius deteriori, cum quoad entitatem v. g. aliud incarnatione inferius, tum quoad accidentalia, v. g. dispositionem, ea qua mundum disposuit, & administrat deteriorem, Deum non fore: quod è sola physica necessitate ad optimum deducitur: eoque rigido sensu Patrum, quæ refert testimonia intelligenda contendit, etsi sententia huius horrore voce morali necessitatis voluerit extenuare, vt de eius discipulo Granado dicebamus num. 6. immò si vniuersaliter sententiarum, quas ex Patribus recitat rigido, quo ille vult, sensu intelligantur, attendaturque rationibus, quibus ipse conclusionem probat, vniuersum ac nulla suppositione facta Deum ad optimum decernendum, & exequendum necessitate, voce morali, re physica, teneri sensibile dubitet nemo: etsi probationes, cum ab autoritate, tum à ratione vniuersim probaturas subitens, sect. 1. n. 10. concludit, sub init. semper se in ea disputatione de optimo relictæ ad notam seriem creatorum, & creandum in vniuerso probatur.

5. Quarta sententia (si cum tertia, & prima sententiam Ruiz recitatam nolis confundi) asserit ex intentione efficacis Dei alicuius finis sub certa mensura præsupposita Deum ad optimi medij electionem, & executionem teneri, si vniuersum optimum sit ad illum in tali mensura obiectum, si enim æqualia plura adesse præstò possint, nullum eorum melius alijs, nedum optimum est: & hanc necessitatem physicam esse merito asserit Ruiz sect. 1. citata n. 4. Huic sententiæ valde fauere videtur Anselm. lib. 1. c. 16. & 17. Richard. Victor. t. 8. de Incarnat. Verbi, etsi enim suppositionem solum peccati ad hanc verbi incarnationem necessario decernendam, & apponendam commemorant, tamen dubitandum non est, quin reparandi ab illo hominem intentionem efficacem Dei in illa suppositione contentam ac subintelligi voluerint Patres doctissimi qui peccatum secundum se ac præcisè Dei incarnationi nullatenus conuenienti ignorare minime poterant: quare horum Patrum eadem, summum, est cum ea, quæ alijs Patribus tribuitur. Nempe ex intentione efficaci reparationis hominum à peccato ad optimum eius reparationis medium necessitatum Deum physicè fuisse, ac subinde efficaci ex intentione antecedente determinatione & necessitate per actionem liberam efficacem intentionem à se ipso in deteriori liberam efficacem intentionem à se ipso in deteriori inducunt teneri. Patres qui ita expresse scriptum retulimus contr. 1. de incarnat. d. 1. q. 1. & explicationem sensu eorum literatissimo quædamque vñ eos qui regulas

pro hac sententia stare videbantur: quorum aliam nunc pro eis, & reliquis interpretationem satis eorum contextui, & diffusibus addo: locutus scilicet ex non præsupposita reparationis hominum à lapsu præcisè, & absolute intentione; sed cum talibus modo, & circumstantiis, cum quibus non nisi per incarnationem, v. g. posset obtineri, ac proinde incarnatio medium unicum esset: quare rigore sermonis non optimum, cum nulla alia forent, ex quibus, seu comparatione quorum optimum esset, vel si alia media ad eum modum: & mensuram reparationis intentæ Deo suppetent; intentio tamen Dei vt in eo modo, & mensura, non nisi per medium illud finis obtineretur. Omnino fuit: quæ ratione intentio non præcessit electioni medijs illius, sed eodem actu, & actu, & finis & medium simul, eademque libertate voluit à Deo fieri, vt dicebamus n. 3. sub finequare extra præsentem controu. Patres istis sunt locuti.

## CERTAMEN III.

*Vera sententia affirmantis vniuersim exclusioni contradicens stabilitur.*

1. Prima conclusio: Deus de se, nullaque suppositio-  
ne alia efficacis voluntatis Dei, & productionis re-  
rum facta physice ad optimum efficaciter præ deteriori  
eligendum, & efficiendum necessitatus non est, est omnium  
fere Theologorum conclusio, cui expresse nemo ausus est  
adversari, eundem quidè Raymundi Lullij genium, qui ad  
physicam necessitatem Dei ad decernendum, exequendumque  
optimum incarnationis verbi opus mundi huius effi-  
candi decretum efficacis supponit: etsi, vt notabamus eius  
ratio de necessitate Dei de se physice ad optimum absq;  
nullo libero Dei decreto præsupposito vniuersim, & abso-  
lute probet. Adeo est de absoluta Dei, de se se solum, phy-  
sice necessitate ad optimum efficiens, atque naturali ratio-  
ni horrida conclusio: quod rursus patet ex nominis ne-  
cessitatis moralis abusu, quod Recentiores alij, non simi-  
lem modo, sed eandem re ipsa, ni fallor, conclusionem  
necessitatis physice Dei absolute ad optimum quam sen-  
tientes, obtulerunt: ne physice necessitatis nomine as-  
serta nimis pudorem Theologicum soluisse viderentur,  
atque à sua conclusione præ horrore Scholasticos arce-  
rent, est igitur contra hosce omnes prima hæc nostra  
conclusio, qui quovis nomine Dei de se physice neces-  
sitatem ad optimum extrinsecum dixerint.

2. Patrones pro ea antiquos in terminis ipsis, vt aiunt,  
vix vltimè referre possumus: quia questio in terminis ab  
antiquis intacta, apud nostrum Ruiz, eiusque discipulum  
Granados recens est nata: etsi primus mundi huius  
assumunt Doctores ex antiquis plures hinc inde, quasi  
magis eruditione, & longissimis discursibus inducat; fa-  
cilius tamen clariorque pro nostra negatiua conclusione  
adducuntur: etenim omnes Sancti Thom. interpretes 3. p.  
quæst. 1. ubi de necessitate Dei decernendi incarnationem  
agunt, nostræque conclusioni aduersam erroris in fide no-  
tat Bartholom. Medina, Soarius verò temeritatis d. 4. de  
incarnat. sect. 2. §. Dico secundò, & 1. p. q. 19. a. 3. & q. 2. s.  
art. 4. ad 4. Caiet. Bañes, Zumel, Nazari, Nauarrete, Ripa,  
Pescu, Cipulus Molina, & Vasquez, qui 3. p. d. 1. c. 1. in  
lullium vique ad censuras inuoluitur, quod adhuc ex sup-  
positione creationis mundi, necessariam incarnationem  
ex ratione generali, quod Deus optimum decernere, &  
facere teneatur, sicuti, & reliqui Doctores eam quæstio-  
nem ibi tractantes, item Magister in 1. d. 44. & in 4. d. 1.  
vbi etiam interpretes omnes, quorum nemo Deum ad  
optimum, necessitatum non esse non supponit: nemoque  
etiam ex iis qui aliqualem incarnationis asserit, non ali-  
quam intentionem efficacem Dei de hominum repara-  
tione, seu cum summa gloria sua per incarnationem solum-  
modo possibili, sive ex toto rigore iustitiæ incarnationis  
necessitatem defendit. Sed speciatim vniuersalis neces-  
sitate Dei ad optimum, sive in genere physico, sive morali  
& passim expressius negant. Scotus in 1. d. 44. citata q. 1.  
Valencia 1. p. d. 1. q. 2. s. p. 3. Heriz d. 2. c. 1. sive vlt. de volunt.  
c. 4. a. 2. 6. omnium Theologorum eam appellans. Alarcon  
Christoph. de Orrego, de Deo vno. Tomus 11.

tract. 3. d. 3. c. 3. ac reliquis magis ex iustituro, & fuscè Ar-  
riaga 1. p. tom. 1. d. 2. 7. tota, sect. 4. de volunt. Dei præsertim  
à sect. 2. ubi eam dilucide probat ex S. Thom. 1. p. q. 19. a. 3.  
diuine voluntati solum necessitate, ex suppositione, quod  
velit, concedente sicuti & q. 2. s. & 1. contra gentes cap. 80.  
probante vbiq; ex independentia Dei à creatis omnibus;  
eorumque, tam physica, quam morali bonitate creata, in-  
create extrinsecè independentiam, in connexionem ac  
non indigentiam ad bene, siue ad melius esse: stant pro  
hac etiam conclusione Cardinal. Lago d. 2. de incarn. sect. 1.  
num. 3. & Bernal. d. 3. sect. 1. n. 2.

3. Immensum pene esset Patrum testimonia, quibus  
conclusio probaretur recitare. Dedimus plura q. 1. cert. 4.  
hanc conclusionem continentia, & exemplum adhibentia  
in voluntate efficaci incarnationis, adhuc ex intentione  
efficaci Dei de nostra reparatione post lapsum Adami, &  
nostri omnium in peccatum, (necum absolute, & secun-  
dum se spectato Deo) in cuius voluntate efficaci exemplum  
aduersarij ponunt. Aiunt enim Patres, cum ibi citati &  
recitati, tum controu. 1. de incarnat. d. 1. q. 1. poruillo  
Deum, adhuc posita ea intentione non incarnari, ac nos  
per alia remedia redimere, etsi eius executio, cum phy-  
sicè, tum moraliter obiectiue optima sit. Arque aliter cen-  
sentes, stolidos vocat Augustinus 13. de Trinit. cap. 10.  
ab illis verbis, *quis adeo despicitur rationemque subiungit*,  
*quia Dei potestati cuncta, creata, aequaliter subiaceant*:  
quod ipsum ait de agone Christiano cap. 11. Non autem  
in prælectione inferioris, præ optimo, cuncta aequaliter  
subiacerent, si ad optimum determinatus esset physice,  
vt aduersarij pro prima sententia relati, immò & relati  
pro secunda, qui physicam, vt diximus, necessita-  
tem Dei secundum se ad optimum moralis necessita-  
tis nomine, & abusu rectam defendunt, vt osten-  
di: quod, vt eorum euasione inuoluitur referen-  
dis & refellendis parcam, hic semel pro omnibus  
argumentis, deinceps etiam instruendis, semel di-  
xerim.

4. Et de iis quæ vltato, vel innatato, vel monstro-  
se à Deo sunt (quæ vtique deteriora sunt) siebat Aug.  
epist. 101. *Habent omnia causas suas, atque rationes re-  
ctas, & incusabiles, quæ Deus, vel vltato, vel innatato  
operatur*: quibus ait recta ratione, & moraliter bo-  
ne, absque vlla mali moralis, aut physici Deo tribuendi  
suspensione, creata deteriora de se physice: quare, & mo-  
raliter ex obiecto suo deteriora velle efficaciter Deum,  
atque operari posse: quam rationem sæpe exemplo elec-  
tionis prædestinati præ reprobo approbat, & confirmat:  
maxime q. 16. de veteri testamento, quia in electione  
vnius misericordiam, in non electione alterius iustitia clu-  
cet, quarum vtrique secundum rectam rationem & hone-  
statem est, vt vnius defectus alterius præsentia suppleat-  
ur, si aduersus misericordiam; si noluerit iustus: quod ipsum  
in volitione efficaci minus perfecti præ optimo obie-  
cto, siue physice, siue moraliter reperitur. An verò  
Dei volitio (circa quodcumque obiectum de se ho-  
nestum perfectius, vel imperfectius sit) atque per-  
fecta physice, & moraliter debeat censeri? Ad dis-  
putationem de virtutibus moralibus Dei deinceps ha-  
bendam spectat. Huc etiam faciunt quæ ex scriptura  
recitabamus citata quæst. 1. certam. 2. vt expendenti pa-  
tribus, claretque amplius ex rationibus subiiciendis pro  
præsentis conclusione, quarum aliqua ad conclusionem  
dogmaticam ea quæst. assertam deferendam, vel ad præ-  
sentem nostram aduersa sua deserta vi consequentia ad-  
uersarios cogent.

5. Probatur primò: à ratione ex independentia, &  
inconnexionem Dei à quovis obiecto extrinsecò, adhuc  
possibili, necum exercitò, & actu apponendo: atqui  
ex necessitate physice Dei ad optimum extrinsecum, siue  
physicum, siue morale, atque ex necessitate morali,  
abusiuè dicta, quam hac conclusione impugnamus in-  
fertur connexio, & dependentia Dei ab aliquo extrin-  
secò, non solum possibili (quod tolerabilis in Theolo-  
gia est) verum actu, & exercitò apponendo: ergo im-  
plicat eiusmodi necessitas Dei ad optimum. Minor pro-  
batur: quia connexio, & dependentia physica, &  
realis ab alio, tanquam à termino suæ entitatis,  
seu existentia est non posse vnum existere in se,  
quin existat aliud: atqui posita hæc necessitate  
suis

sive physica, siue morali abusuè, non volito à Deo efficaciter, & absolute, & actu posito extrinseco optimo siue in genere physico, siue in genere moris, per hos necessitatis huius alterutro modo appellatæ assertores. Deus non esset Deus, sed à se, ac sua existentia deficeret; ergo ex ea necessitate asserta inferitur Dei in se, atque existentia sua connexio, & dependentia à voluntate efficaci Dei actuali, & exercitæ appositione, & existentia optimi, tanquam ab essentia, & existentia suæ necessarii, & essentiali termino; quod nemo Theologorum admisit, neque mentis sanitate admittebat. Hæc ratio à priori omnium Theologorum veterum est pressa, ac subtiliter expressa à Sancto Thoma locis citatis.

6. Id quod exemplis eorum minimorum, quæ produxit de facto, & ad species creatas, & vniuersi ordinem ex cuiuscunque virtutis motu, & impulsu eas produxerit, confirmatur. Nam pulicem specie vna, vel indiuiduo non efficaciter voluit, & exercito in rebus Deus absolute deficeret: etenim, vel totum vniuersum efficaciter voluit, & creatum à Deo: cuiusque, & partium omnium dispositio optimum quid est, vel est alio mundo, ac subinde sub alia dispositione imperfectius: si primum, ergo vel minima eius parte, etiam species, vel indiuiduo pulicis non decreta, & creata à Deo in tua sententia deficeret Deus; si secundum, ergo, quod Deus efficaciter voluit, & creauit optimum in entitate, & dispositione non est. Confirmatur inde rursus ex perpetua rerum mundi successione, qua videmus quotidie plura deficere, locoque deficientium, alia vel meliora, vel deteriora succedere: quare, & vniuersum etiam, quoad species monstrorum retro inuisas, & eius ordinem efficaci voluntate mutari: quod si vniuersum hodiernum diuersum entitatis, & dispositiue perfectius est, vel contra vtroque modo deterius: quod deterius est præ altero, nunquam potest à Deo apponi præ altero perfectiori, & perfectissimo, quod necessarium præeligendum necessitate physica asserit: neque enim sola extrinseca temporis (cuius ipse Dominus absolutus est) successio intrinseca necessitatis Dei de se ad optimum potest temperare: ex quo fiet res omnes à mundi constitutione, & quando Deus aliquod conseruare voluerit, in substantia & accidentibus, tam intrinseci, quam extrinseci immutatas, contra oculorum quotidianam experientiam necessario perferre debere: quoniam temporis successio (qua eidem subiacet difficultati) impedit, vt dixi: quod amplius ostenditur: si enim ea Dei ad optimum necessitas, quoad exercitum, & iam in Deo esset extrinseca duratio, Deum tenere nullatenus posset, quominus ex æternitate, & per æternitatem, tam optimum, quam eius durationem, & producere, & conseruare, quin Deus, suæque hæc cum illo necessitas deficeret.

7. Arguo secundo: ex hac necessitate inferitur Deum non posse efficere meliora, quæ de facto fecit, cum specificæ, tam indiuidualiter: quod frequentissimis testimoniis Patrum contradicit, & rationi, qui enim de se, à Deo finita, solum potest infinita potentia de se se minime pollet, vt supra expendebamus q. 1. sequelam proba. Nam, etsi in maiori perfectione, & bonitate specierum, & specierum in infinitum perfectiorum, & perfectiorum, atque in numero indiuiduorum in infinitum, maiore, & maiore, ac subinde extensius in infinitum perfectiore, & perfectiore, nec vltimum in perfectione, neque optimum sit, quove nequeat esse in alterutro genere perfectius: quare neque optimum impulsu bonitatis suæ affectiue, neque effectiue ab eius omnipotentia de facto produci, & apponi; aut quod ad cuiuscunque ordinis terminum, vt sic loquar in terminum, & supremum in alterutra linea perueniatur sunt perfectiores species, & numeri quam plurimi à factis, volitisque à Deo efficaciter ascendendo ad supremum intra ascensum finitum, cum specierum, cum numerorum: vnde si possit aliquam ex proximioribus adhuc, nedum in numero illo finito supremam, velle efficaciter, & creare: ergo non est necessitatus Deus ad optimum; quandoquidem, non optimum, sed deterius speciem, & numerum, imò, & deterius ex collectione illa finita perfectiorum, & perfectiorum præ eius collectionis perfectioribus efficaciter voluit, & creauit de facto: si non posset, ergo nequit meliora facere quam fecit, vt posita necessitate Dei ad optimum inferrebamus.

8. Dices: necessitatem Dei ad optimum à te assertam supponere optimum, vt cert. i. notabamus, quod absolute, siue in speciebus, siue in numeris, eorumque perfectione maiore, & maiore, siue intensius, siue extensius in infinitum esse haudquaquam potest: quare in his negati potius ad optimum decernendum, & exequendum Deum ac necessitate deuinci, qua teneretur ad impossibile: sed id etiam ego supposui in mea probatione, etsi constare id nequeat cum tuis fundamentis. Nam in mundi huius, qui specierum, & indiuiduorum certo numero constat constitutione Deum fecisse, ac decreuisse optimum asserit: idque testimoniis Patrum de condito mundo, rebusque in eo contentis loquentium, ad sonum potius, quam ad mentem inductis contentis. Secundo: ex ratione, quam ex eis, & Dei bonitate deducis, fateri cogis Deum, etsi in eiusmodi re, optimum, quod in eis determinatum non est, non posse efficaciter decernere, ac producere; tam non posse producere, & velle efficaciter deterius in conspectu, & ex propositione perfectioris, siquidem vis impulsiva bonitatis Dei summe communicatiua sui, quæ ad se communicandum creaturis, quam possit summe, ex qua Deum ad sui communicacionem in rebus, in quibus optimum est teneri contentis; eadem cum in aliis, in quibus optimum non est vix quod perfectione intensius specifica, vel extensius numerica progressus repugnet, ad non eligendum, & producendum alterutro modo imperfectius præ simul propostione perfectione aqua necessitate Deum tenebatur latens tibi erit, vel vniuersum conditum optimum è possibile, & intensius, & extensius perfectione esse: quare Deum his, quæ fecit, non posse facere meliora, vt contendit, vel Deum è summe bonitatis lux inclinacione, & impulsu ad optimum, in quocunque genere administratur, decernendum, & exequendum nullatenus determinari, seu necessitate physica in re (quoquo eam nomine compelles) nullatenus teneri.

9. Tertiò arguo: Deus de se, ac bonitate sua tenetur ad optimum ex propostis eligendum efficaciter, aut non possit, in rebus apponendum: ergo nullam habet in rebus decernendis libertatem, non solum, quoad speciem (quam in his, in quibus optimum est negas) sed neque quoad exercitum, quod merito admittere recusas: etenim inde contra fidem inferitur mundum hunc esse ab æterno: siquidem ad ea, ad quæ, determinatus necessitatulque de se & natura sua, quoad exercitum eius Deus est, nunquam, nusquamque, Deus esse potest, quæ ea producat, etsi voluntatis interuentu apponendis his, quo ea efficaciter velit: quare, cum primum (si primum in æternitate Dei dicere fas sit) ex æternitate sua Deus effectus producat, vel implicatoriè Deus non erit: inferitur rursus ea omnia posita, quæ possibilia sunt, nec solum, quæ facta à Deo videmus, & credimus, ab æterno esse, ac subsecuturam æternitatem necessario esse duraturæ: in cur Filius, & Spiritus Sanctus ab æterno, & in æterno suis principis originaliter procedunt: certe, sed qui sub identitatis essentie cum illis, inde solum probatur, quod ad eorum originariam productionem eiusmodi principia naturali necessitate tenentur: atque inde rursus eorum tritum probabis naturæ identitatem. Prima consequentia patet. Bonitas Dei à Deo de se communicatiua, ac diffusiva imitatiue sui in creaturas est, vt ex optimi propositione extremi, hoc præ alio deterius efficaciter velle Deum naturali necessitate physice tenetur, ac determinatur: quia alio deterius præ optimo eligendum sui compotem relinquatur: atqui positum quodvis possibile respectu negationis sui, per te, ad libertatem exercitii simul Deo proponenda optimum est: ergo ex impulsu bonitatis suæ sui impulsu ad efficacem volitionem entium omnium positurum, non solum faciendorum, sed & possibilem naturalem necessitate ac determinatione physice in tua doctrina, & principis tenebitur, quin necessitatem ad optimum, quod principis tueri possis, nisi ad omnia quod exercitum inferas.

10. Argumentis hinc, vel contenta, vel certè contenta sunt plura, quæ minutatim & prolixè scribimus, & incantant, qui nobiscum sentunt Recentiores: Plura tamen capita dedimus ex quibus multo plura probationum notra, & impugnacionum aduersæ indiuidua, quæ pro suo capto, & ingenio poterit deducere: vnde Deum non fore Deum, si Adamus non peccasset: quia in aliquorum ex aduersariis sententia Patribus conueniunt.

non fuisset incarnatio, quæ optimam per hos est: duo tamen attingenda breviter restant, quorum primum d. proxima quæst. 1. teigimus, & multarum probationum huius conclusionis, & impugnationum adversæ caput etiam est. Nimirum orationes nostras, quod optima nobis Deus donet, & gratiarum actiones, quod ea nobis dederit, in nostra conclusione viles, in affirmante necessitate Dei de se, naturæque suæ, reddantur inutiles, & frustraneæ Deique naturalia beneficia, & gratiæ etiam supernaturales præ minoribus gratiis, & beneficiis non erunt. Quæ quidem omnia contra eiusmodi necessitatem ad extrinsecum optimum morale, vel physicum substantiale, & entitativum, vel accidentale extrinsecum, vel intrinsecum dispositionis, ordinationisve rerum æque probant, vt pater. Secundum est, malè Granados, cum ex vna parte asserat ex necessitate, (quam morale vocat) Dei ad optimum, & non electione optimi præ minus bono Deum physicè defecturum & destruendum, ac non futurum Deum, atque tamen necessitati morali hominis ad aliquod veniale committendum, nisi specialissima gratia à Deo præcursat, ex quo minime inferitur eum, qui absque ea speciali præsentione Dei omnia vitare venialia (vt physicè potest) non futurum hominem, physicèque destruendum; sed solum morali illi necessitati deficere, cui reliqui de facto succumbunt: obnoxique sunt, non autem essentia, & existentia suæ: sola enim necessitas physica altius præstandi inferit physicam deficientiam eius, qui eam habet, si illud non præstet: quare ex hac Granados illatione morali solum necessitas, qualis est admittendi aliquod veniale, non emittitur, sed physica, & quæ physicam impotentiam aliter agendi Deo affigit æque atque impotentiam physicam destruendi seipsum.

### CERTAMEN III.

*Relique affirmantes sententiæ contradi-  
ctoris probatis repelluntur.*

1. Si secunda conclusio contra nostrum Izquierdo, qui sua proprietate morali necessitatis nomen usurpans illam ad optimum Deo de se naturæque suæ & bonitate committere asseruit. Nos autem eam etiam necessitatem moralem ad optimum Deo denegamus. Probatum conclusio primo: quia Dei voluntas ad cuiusvis virtutis exercitium debet esse promptissima; immo æque, ac summe expectata ad exercitium virtutum omnium. Ergo implicat esse Deum inclinatum ad optimum, nullumve aliud obiectum extrinsecum ei suæ bonitatis impulsu, vt non possit absque pene insuperabili difficultate à prosecutione efficaci illius extrinseci se continere, vel absolute, vel præ alio minori bono simul proposito quod ex alterius virtutis motu prosequi physicè potest. Secundò Dei dominium erga extrinsecum eo gradu minuitur, quoad aliquid in eo inducit necessitas: quare ex necessitate morali ad aliquid moraliter eius Dns non est: sicuti ex necessitate physica ad illud dominium Dei physicum periret. At dominium Dei erga extrinsecum omnia omnimode perfectum, atque omnino absolutissimum esse debet: ergo absque vlla necessitate morali ad aliquid Dei de se naturæque suæ sumpti. Confirmatur: quia suato idcirco, tam deesse dicimus, quæ habet, quam, quæ non habet, quia ex morali necessitate, quam eius voluntati avaritia inducit, vsum rerum, quæ habet moraliter reddit impossibilem æque, ac rerum quæ non habet.

2. Tertiò libertas etiam physica Dei arbitriique diuini valde ea necessitate minuitur: sicuti in nobis ex vehementi quavis inclinatione, quæ in aliquid agimus, seu adiungimus, quæ est absolutam physicam libertatem nobis relinquit, atque adeo absolute peccemus in mali prosecutione quantumvis naturali, siue consuetudine nimia (quæ altera natura est) inclinatione, quæ moralem nobis necessitatem inducit in malum illud impellamur, agamurque, ac pene cogamur. Quartò: vt contra physicam necessitatem, quoad speciem, Dei ad optimum arguebamus, cert. 1. a. 9. necessitas Dei morali, etiam quoad exercitium, inducitur: neque hoc negat hic consequentia laude dilecti

*hr. C. Steph. de Ortega, de Deo Vno. Tomus II.*

gnus Recentior: & omnia, quæ eo cert. contra necessitatem physicam produximus, proportionem seruata contra hanc moralem necessitatem faciunt: erit enim Deus necessitatus moraliter ad peccati primi Parentis permissionem, vt verbum incarnetur, quod absque eo peccato non fieret; immo ad plura cuiusque peccata permittenda, ex quibus optima fieri perpenderunt: v. g. lapidationem Stephani à Paulo per Iudeorum omnium manus, ex qua pendit, vt oratio Stephani, *Ne statuas illis hoc peccatum*; pro Paulo etiam esset, cui orationi Paulum, siue eius conuersionem Ecclesia debet: & id generis sexcenta absurda omnia alia, quæ, vel recensere; esset quam longissimum.

3. Quintò: Hæc sententia, quæ tota in bonitatis liberalitatis, ac misericordiae Dei commendationem, & laudem videtur excogitata, eique vnice innitens valde est ipsi iniuria: etenim, quo vehementior est inclinatio ad aliquid agendum minus est voluntarij, & liberi in eius executione, vt notum Philosophis, & Theologis cunctis est. Maxime, cum inclinationis impetus, & impulsus tantus est, vt moralem necessitatem inducat, faciatque oppositum moraliter, & iuris æstimatione impossibile: vt Deo huius necessitatis morali author optimi omissionem præ deteriori, immo & omissionem absolute impossibilem moraliter facit: cum ergo vique adeo ea morali necessitate ad optimum, siue absolute, siue prælatiue in Deo inducta moraliter libera boni illius à Deo communicatio, voluntariæque non sit, ac vix physicè sit voluntaria, & libera: æquid laudis, & commendationis diuinæ voluntatis erit, quod se communicet, ac diffundat in creaturas vix aliter facere physicè magis potens quam sol non illuminare, fouereque, aut ignis non calefacere, atque refrigerare: quidnam tantæ liberalitatis, & gratiæ in nos exercet, cum summis nos gratis, ac donis cumulat, vt propterea ipsi ingentes gratias, & habere, & agere debeamus: cum eis omnibus nobis donandis, vt ignis, aqua, & sol quæ nos refrigerant fount quoad libertatem, ac subinde liberalitatem, moraliter loquendo, se tantummodo gerat?

4. Sed quid inquires Patres nobis Dei bonitatem, virtutemque, seu vim diffusiuam sui in creaturas tantopere commendant: si Deum non magis ad bona creaturis communicanda, eisque ignoscendum, quam puniendum rationales peccantes, non agnoscunt; quin potius æque misericordiae, atque iustitiæ, ceterarumque virtutum eius voluntatem quasi æquilibrio positam sollicitant? Respondeo: Deum de se, ac de suo, quin aliud ex parte creaturarum extrinsecum expectet, bonitatem infinitam habere, quæ quidem ad se diffundendam cum subiectiue, tum obiectiue natura sua Dei sollicitat voluntatem: iustitiam verò diuinam, æque Deum ad malefactorum punitionem, cum subiectiue, tum obiectiue Deum, atque ad reliquos eius virtutis actus exercendos inclinare: ceteram iustitiam punitiuam cuius inclinatio ad suos actus exercendos minor, quam misericordiae & bonitatis Dei ad suos à Patribus dicitur, vt se absolute exerceat extrinsecum aliquid requirit: scilicet creaturæ peccatum, quod cum finita malitia sit, non æque ad supplicia, & vindictam Deum mouet, atque motiuum bonitatis vndequeque diuinum atque infinitum quod bona sua etiam peccatoribus infensis elargiendi integrum motiuum Deo est, quare merito de se sumptus Deus solum benefaciendi principium, & motiuum habere dicitur, non puniendi, quod nos peccatis nostris apponimus. Atque hoc etiam à nobis culpa ad punitionis, seu iustitiæ vindictiue exercitium posito motiuo minus est, vt potest finitum, quam Dei bonitas infinita, vt ignoscit: quæ sola totum ignoscendi motiuum Deo, ac proinde efficacius est, quin culpa, quæ potius à venia, & beneficiis in nos conferendis Deum retrahunt pars motiui vel ignoscendi esse possint: idque solum Patres volunt, cum Deum de se ad beneficia, quam ad supplicia prædicant nobis promptiorem, non autem maiorem eius ad vniuersum, quam ad alterius virtutis exercitium, propensionem quæ ad alterius actus moralem inducat Deo necessitatem.

5. Ex multis consequentiis à Deo in sacra pagina ap- probatis (quæ defecturæ videbatur si hæc morali necessitas ad optimum Deo deficeret) & fuscè recitatis à Ruiz cit. d. non solum eam quæ (vt est ingenio acri) omnium similitudinem pro hac diuina necessitate morali Dei expendit, profero: Si autem vos, cum sitis mali, nostris bona data dare sitis

illis vestris, quanto magis Pater vester celestis dabit Spiritum bonum petentibus se: Etenim, si Deus ex maiori necessitate morali donandi Spiritum bonum, seu spiritualia dona hominibus petentibus teneatur, quam pater, & mater ex naturali erga filios affectu ipsis in necessitate edulias, vel alia petentibus dare tenentur, ac non illorum loco lapidem, aut scorpionem, consequentia non tenet, Christusque Dominus eo argumento nobis illudit, ut spem à Deo obtinendi petita erigat nostram argumento subtili & fallaci. Respondetur tamen facile argumentum hoc non Dei, secundum se, ac bonitatem suam naturalem sumptum necessitatem moralem probare. Hanc enim nos impugnamus; sed petitionibus nostris adhibitis. Secundo ex parte Dei liberum Patris affectum erga homines, vterius apponi, quem absolutum potuit non habere, ut textus exprimit ipse: quare conclusioni, quam impugnamus nullatenus suffragatur ex suppositione intentionis finis, alicuiusve efficacis decreti liberi Dei: & ne id quidem probat, sed datum Deum quod satis facienda necessitati hominis sit, non autem optimum; adhuc ex paterno præhabito affectu donaturum.

6. Tertia conclusio ex decreto libero efficaci creandi mundum aliquem Dei bonitati adiuncto, vel creandi hunc determinate mundum, quem initio condidit, neque ad optimum mundum creandum, neque ad ponendum in hoc mundo optimum v.g. incarnationem, optimamve dispositionem physicam necessitate morale, quæ re eadem sit, vllatenus tenetur, est autem contra Lullium, & nostrum Ruiz ex tota eius sect. 9. Tripartita est conclusio: Prima pars de decreto de hoc, vel illo, vel alio mundo distinctiue est manifesta ex dictis, certam. 1. pro prima conclusione, nullam liquidem necessitatem addit hoc decretum ad optimum ex illis mundis condendum atque efficaciter decernendum, liquidem cuiusvis ex illis productione efficacis & infirmitati eius decreti satisfiat, quare ni de se naturaque & bonitate sua Deus necessitatis aliquo necessitatis genere ad optimum sit, nequit ex eo decreto necessitari, vel physice vel moraliter siue propriè, siue improprie moralis necessitas usurpetur: constat autem ex dictis certamine secundo, & præfenti pro conclusione secunda nullo necessitatis genere de se natura & bonitate sua Deum teneri; ergo neque vlla ad illud tenebitur ex eius disunctiui decreti additione. Nec pluribus prima hæc conclusionis pars eget.

7. Secunda pars quoad productionem optimi nempe incarnationis ex suppositione decreti productionisque huius mundi: est communis fere omnium Theologorum conclusio in materia de incarnatione, qui Anselmum eiusmodi necessitati aperti ad fauentem, vel explicant reuerentes, vel deserunt aperte, ut vidimus controuersia prima, de incarnatione d. 1. quaestione 1. & quæ speciatim per seque attigimus certamine 2. numero 10. contra necessitatem Dei ad incarnationem satis hanc partem probant: item quæ ex Patribus etiam attigimus eodem certam. num. 3. ex hypotesi non solum mundi huius conditi sed peccati permitti, & efficacis intentionis Dei de hominibus redimendis.

8. Tertia demum pars probatur argumento, quod secundam confirmabit. Nimirum ex decreto efficaci, & creatione vniuersi nulla necessitate teneri Deum ad optimam eius dispositionem extrinsecam (formalis liquidem Dei ipsique identificata dispositio cum physice rum moraliter optima est.) Probatur primò: quia ex mundi huius creatione nihil determinationi ad optimam hanc dispositionem & obiectum Deo additur præter rerum singularum, & omnium, quibus vniuersum constat sui priuati, & communis commodi maioris naturalem exigentiam; atqui naturali rerum singularum, & omnium coniunctum existentie annuere Deus nullatenus tenetur, sed omni prius necessitate solutus annuit, potens omnino renuere, ut de singularum existentis quibus Deus de facto annuit minime, extant in scripturis, & authenticis historiis Ecclesiasticis exempla quam plurima de omnibus coniunctum sumpta ad commodum vniuersi maius exigendum nequeunt ita præualere iuri supremi domini Dei in vniuersum totum, & summae libertatis diuinæ: ut vtrumque ius determinent ad vnum, & extinguant. Con-

firmitur: quia maius, & præcipuum rerum singularum, & coniunctum omnium, siue vniuersi est in se permanente: attamen nulla necessitate tenetur Deus mundum, adhuc prosequenti iustanti, conferuare, ex eo, quod illud produxerit: quin durationis eius tempus libere prius decreuerit: ergo iure maioris commodi vniuersitatis rerum non determinatur vlla necessitate ad optimam eius dispositionem & gubernationem obiectum.

9. Vrgeo: quia vitæ, & mortis, siue existentie, & non existentie rerum Dominus absolutus omnino dispositionis earum, siue ipsis commodæ, siue incommodæ Dominus iridem absolutus est, etsi præ incommoda dispositione pereant: atqui Deus vitæ, ac mortis existentie, ac non existentie rerum absolutus Dominus est etiam coniunctum sumptum, siue ipsi commodæ, siue incommodæ absolutus Dominus est etiam coniunctum sumptum: ergo, & dispositionis earum, coniunctum etiam sumptum, siue ipsi commodæ, siue incommodæ absolutus Dominus est etiam fortiori iure, & exactione magis sibi commodam potest mundus à Deo poscere, quam indigentie, & precario: quod ab inductione necessitatis in Deo ad donandum mundo commodiorem abest quam longissime, immò ei contradicit: sicut preces propriæ cum propria coactione alicuius ad id præstandum, quod precatur. Confirmatur: quia nulli seruo, reive, quæ sub alterius Dominium absolutum cadit, ius exactum competere potest, ut commodissima ipsi dispositione cum ipso Dominus suus agat; etsi vitæ mortisque serui empitj Dominus pro libito non sit: immò necessaria ad necandam vitam debeat seruo ministrare: Denique solis, ac siderum circularis motus convenientissima, & commodissima mundo huic visibili dispositio, & gubernatio obiectiua est, eumque à Deo pro libito aliquoties impeditum, & aliquandiu suspensum fide credimus diuinæ, & indubitæ authoritatis historiis humanis: idque ob priuata solum huius, vel illius Reipublicæ, & nationis commoda, quæ in Dei voluntate citra vllam mundo visibili Deo irrogatam iniuriam præualent: multo igitur in summa libertatis, & potestatis domini supremi diuinæ vniuersi ad optimam sui dispositionem, & obiectum gubernationem præualebit.

10. Quod autem obiter insinuat Ruiz, Deum ipsam partem, ac membrum vniuersi huius esse, & cuius proinde iura propria, & priuata communi bono vniuersi cedere omnino debeant, vltima hac impugnatione præcaturum est: Nam, & pars huius vniuersi nostri Deus tuus erat, cum eius maximo commodo circularis motus solaris syderis, & celorum toties eius continuationi aliarum quandiu interesset, idque, ut parvis minutæ vniuersi maiori commodo consuleret: & quanquam, an Deus naturæ, & vniuersi pars dicatur rectè, vel secus, hic esse potest controu. de ente supernaturali in genere à nobis determinanda; id tamen certum est: partem vniuersi membrumve simpliciter, ac sine adiuncto aliquo dici non possit, sed solum vniuersi caput, membrumve præcipuum: sicut in politicis supremus, & absolutus dominus reipublicæ, ac Regni non pars regni, sed caput princeps, & Rex solummodo dicitur: quamvis, quia ordinata omnis politia & ciuilis potestas, & à republica tandem in Principem, sive primum, siue eius hereditario iure successores, emanant iuxta §. *Populus in eum* insit, de iure nat. gent. & ciuili altiusque à Deo supremo, & absolutissimo Regem, & ignorantem domino promanant, ad Reipublicæ vniuersi sumptæ commoda præ priuatis suis Rex tenetur: ad quæ solum non autem ad sui destructionem populus suum eum ciuilem contrulit potestatem, à Deoque supremo ipse, eum in bonum solum Reipublicæ collata potestas est: quare, & illi priuata commoda, & personalia quæ iura cedere debeant, sicut in Deo, cui potestas in omnia vniuersi, coniunctum etiam sumpta, nec ab vniuerso ipso neque ab alio superiore Principe collata est; sed à se, namque sua ipsi cum ad vitam, & existentiam, tum ad eorum necesse, & defectum, seu negationem competit Deo.

11. Demum ex peccati (cuius malum omni positum bonum in mundo hoc, immò, & in omnium mundorum positum lium coniuncto præponderat: atque in estimatione recte rationis creatæ, nedum increatæ, & diuinæ præualet) permissione haud levis pro tertia hac conclusionis nostra parte argumentum deducitur: vnde cumque cum

Deus ad mundi conditi optimam dispositionem, & obiectuam gubernationem Deus teneretur, teneretur etiam ad non permitendum, quod secundum rationem rectam summum malorum omnium esset, ac rationalis reipublicæ, præcipue animarum universi huius partis, destructum, imò totius universi dispositionis rectæ inuersionem, & subuersionem: Deulque proinde, etsi ad virtutis, & honestatis exercitium, præcipuum universi ornamantum, libertatem ad peccandum creaturis rationalibus debuerit relinquere ut Patres aiunt; aut peccatum permittere, & solum sufficientia, ac non habitura effectum ad vitanda peccata tanto universi malo, & subuersione non posset. Quod autem inde tot fructus Deus perceperit, calumnias diuinæ providentiæ obmurmurationibus, & obiectioibus satisfacit, ut certamine sequenti dicam: supposita Dei in peccati permissione Catholica libertate; non autem impotentia Dei ad peccati permissionem necessitate Dei ad universi conditi optimam dispositionem, & obiectuam gubernationem apponendam, quam nunc impugnamus, inductæ.

12. Quarta & vicina conclusio. præcisè ex intentione efficaci alicuius finis, etiam sub certa mensura aliqua bonitatis obtinendi, dummodo plura media sint ad illum sub illa etiam mensura, nec infra, nec supra obtinendum ad nullius appositionem, atque efficacem electionem tenetur Deus, etsi illud optimum sit ut esse potest. Tota conclusio est omnium Theologorum præter extremam partem in qua asserimus ex pluribus mediis ad finem intentum sub determinata aliqua mensura, nec inferiore, nec superiore posse esse medium optimum, & ceteris excellens, & tamen ad eum apponendum nullatenus tenetur Deus, utrumque opponitur sententiæ communis: probatur facile postremum: quia quantumvis efficax intentio finis, sub mensura etiam determinata, non determinat ad unum ex pluribus mediis sufficientibus ad id ipsum obtinendum de facto, si apponantur, ipso Ruiz sentente sect. 1. num. 5, sed præter optimum sunt plura alia media, quibus finis intentus sub eadem, nec maiori, nec minori mensura, quam sit intentus, obtineatur de facto, si quodvis eorum apponatur, etiam minimum, quod ad illum sub eadem mensura satis est; ergo ex ea intentione ad optimum ex illis apponendum non tenetur Deus. Minor est casus suppositus in quo discurrimus: quare nulla eget probatione: sicut neque consequentiæ legitimitas.

13. Solum restat probandum ad finem intentum sub determinata mensura qui sub ea ipsa, nec ampliori, neque curiori pluribus mediis possit obtineri, posse unum ex illis ad hoc obtinendum finem melius alio, atque unum optimum illorum esse; id quod repugnantiam continere demonstrari censet Ruiz ibid. numer. 4. Nam quod ultra finem, & mensuram determinatam intentam à Deo per medium perfectius, seu optimum, vel citra totum finem, & mensuram intentam per imperfectius, & infimum voluntatem Dei efficacem frustrabit: cum neutro obtineatur quid intenditur determinatè à Deo, sed magis, vel minus, quod in frustrabilitatè essentiali voluntatis efficaci Dei contradicit. Ceterum non animadvertit Ruiz medijs bonitatem, & conducentiam ad finem intentum è sola virtute, quasi extensiva, ad finem tantum obtinendum, non esse merendam, in qua solum eius ratio concludit; sed etiam ex modo eam ipsam finis quantitatem obtinendam: nimirum breuitate facilitate, atque expensis minoribus; quod enim expensis minoribus maiore facilitate, & breuitate tantumdem finis apponet, quam aliud, melius, perfectiusque medium illis est: est breuissimè, facillimè, sumptuque minimo, erit illo non optimum ad finem obtinendum: quod, quia non animadvertit Ruiz eius discursu nec leuiter tangitur: exempla sunt obuia. Quod si dicas eam etiam facilitatem &c. intendi à Deo, ad quam solum perfectius, vel optimum conducit, destruis casum suppositum, & demonstrationem tuam: vel forte totam materiam conclusionis, si dixeris intendi finem sub ea qualitate, & mensura ut per optimum medium obtineatur: tunc enim intentio illa, & finis, & medijs electio simul eadem est: quare nequit vllò modo intentio illa ad optimi electionem verè determinare, quin determinet ad ipsam; quod minime repugnat.

14. Denique ut constet clarius quod diximus supra non semel in sententiarum relatione Ruiz sententiam, & mentem fuisse vniuersalem de necessitate Dei de se, bonitatisque, & natura sua absque vlla suppositione decreti liberi efficacis Dei, siue intentui, siue executui, legatur sect. 10. cui hunc titulum præfixit. *Multis exemplis ostenditur enervari Theologorum rationes, nisi supponant voluisse Deum optimum finem sub optimâ mensurâ*, etenim finis intentio primus actus liber Dei est nullum supponens, neque intentionum, neque executiuum atque in singularum rationum: quas ex variis Theologis rota sectione refert ponderationibus suam hanc mentem iteratò detexit: & tam in iis, quam in reliquis argumentis ab autoritate, & à ratione morali, quam dicit necessitate physicam reipsa, & cui, si non pareret Deus defecturus foret, physicam inducere, sicuti & de Granada dicebamus, satis declarat.

## CERTAMEN V.

### Argumenta aduersariorum retunduntur.

1. A Ratione arguunt primò: è summâ inclinatione bonitatis diuinæ ad se communicandum creaturis, quam illis tribus terminis *bonum, bonificatum, & bonificabile*, quæ etiam Trinitatis mysterio de Deo in sua arte demonstrando, ipsi familiaribus Raymundus Lullius instruxit: sed non maiore fructu, quam reliqua, quæ ex eis terminis demonstrari somniauit: sed quidquid cum ex vi hac impulsua bonitatis diuinæ ad se communicandum creaturis, & naturâ affectione voluntatis ad bonum communicandi se optimo modo, & in quo minus displicentia sit, ut in optimo faciendo, discurrant, ac testimoniis Patrum confirmant Ruiz tota sect. 16. & Granados, dissectum satis est certum. 3. redditurque ratio: cur Deus de se, naturæque suæ magis ad bonum nostrum, quam ad malum: & supplicium inclinatus dicatur; quin tamen inclinatio hæc aliquid de summa libertate voluntatis diuinæ minuat, vel de suprema dominij potestate. Nec video, quo pacto alicui venire in mentem poterit optimum creatum, quod limitatè bonitatis est, nihilque Dei felicitati referens, atque essentia sua imbibitam imperfectionem creaturæ habet, qua sui affectum satis potest auertere, adeò posse, sui quasi impotem, diuinam voluntatem allicere, vel potius ad sui amorem trahere, penè inuitam; ut vix aliquid mortis maioris diuinæ relinquant bonitati. Argumentum aliud de carentia gaudij, quod Deus habet de optimo producto, multum, vel nihil probat. Multum: quia probat idem de bono non optimo, de quo Deum gaudere cum productum, atque in se existens est, æque est certum; ac proinde probat nihil ex creatis possibilibus posse Deum non producere, si hæc internum Dei gaudium, ac subinde intrinsecam eius felicitatem possint augere. Nec satis est gaudium aliud æquiualens de sui independentia ab existentia optimi, quod Deus haberet, si non existeret: illud enim gaudium habet etiam, cum existit; & tamen deficit gaudium, quod de actuali optimi existentia Deo accrescere admittitur; sed certè nihil probat obiectio: nam quidquid gaudij Deo intrinsecè est, totum de summa sua bonitate est; quin de sibi extrinsecis bonis (quæ nihil internæ suæ felicitatis interlunt) intrinsecè felicitatis, & voluptatis quidquam capiat. Reliqua à ratione omitto, quia ex dictis pro nostris conclusionibus euanescent.

2. Tam multa oblonga sua disputatione ab scripturæ, & Patrum autoritate concessit Ruiz, ut ea singulatim diluere iusti tomi negotium esset; ea verò ad capita aliqua redigi possunt. Primum ex Patribus asserentibus Deum assumpsisse naturam humanam ad nos redimendos, quia id melius fuit, & quamvis id ad necessitatem eligendi optimum ex intentione efficaci finis videatur spectare quare solum quartam conclusionem nostram impetere:

G 3 ast,

ast, cum ex ratione generali subiuncta in hac materia testimonia Patrum concludant Deum vniuersum ad melius, seu ad optimum, in quavis materia decenterendum, ac praestandum, teneri de se, naturaque sua videntur docere: quare Francfordiense Concilium de ea speciali materia agens ea ratione necessitatem incarnationis statuens epist. ad Episcop. Hispania vniuersum concludit. *Credamus: Deum omnia velle quae meliora sunt.* Vnde ex parte confutata manet tentata solutio Ariagae sect. 1. sublect. 1. numer. 5. §. *Secundo loco adducta*: sed bene ait rationem non necessitatem consequentiae faciendi, sed congruentiae iam facti, seu faciendorum: vnde illud *credamus*, non definitionem, sed exhortationem, vt (iuxta adeo venisimiles, & congruentissimas, ac Deo reuerentes rationes) ita sentiamus, continet: maxime, cum ibidem addatur, *cur ergo filius id non fecerit?* nempe naturali filiatione vnionis suae hypostatice naturae humanae, potius quam adoptiua per solam gratiam communieata nos redimere: quasi dicat: nulla nobis adesse ratio potest, quae nos ab eiusmodi pio assensu fortius auclat, aut in oppositum distrahatur, ac diuertat. Neque amplius voluere Anselmus 1. cur Deus homo cap. 16. & 17. & Richard. Victor. de Incarnat. verbi cap. 8. necessitatem incarnationis e peccati suppositione impensius afferentes, quam nullam pro opposito à nobis cogitari posse rationem congruentiae maiorem.

3. Secundum capit. e Patribus providentiam Dei rectam, siue in mundi dispositione, siue in creatione hominis, & Angeli cum potestate peccandi siue in permissione peccati defendentibus, & ostendentibus facillime, & frequentissime contra haereticos, earum dispositionum, ac providentiae Dei obliuiscuntur, & impudentissimos obmuturatores, vel contra alios subitimos, & curiosos dubitatores ob disconuenientias, quas in eis rebus à Deo factis, vel dispositis proponebant: iis siquidem omnibus Partes semper constantes respondent: Deum in omnibus fuisse, quod melius, seu optimum est: idque à Deo enixe, vt quandoque (quod idem est) à iustitia defectum, vt aiebat Augustinus tom. 1. libro de quantitate animae cap. 3. *iustitia Dei factum esse vt non modo sint omnia, sed etiam sic, vt omnino melius esse non possint.* Sed plane hic, vbi strictius, rigidiusque contra nos verba Augustini sonant, nihil contra nos. Primo: quia, si ex virtute iustitiae, ex libertate, sine qua nulla exerceatur virtus factum quod melius est, quo melius esse nequeat; non autem necessitate naturali ad optimum plane fatetur. Constat secundo ex contextu, qui totus est ad suadendum, mortem appetendam, ne peccatum admittatur: quia, & si, tam sit difficile Dei lege, & iustitia ordinatum est qui simul gratiae auxiliantis vires suppeditat de suo, non minus, quam legem: nec iniustus est proinde, sed iustus: difficulta, iure suo vrens, praeciens, viresque ad difficultatem vincendam praecipi suppeditans: quare extra rem opponuntur verba Augustini.

4. Vniuersum autem ex occasione, & intento Patrum, cum ita loquuntur, Respondeo: eos ita loqui contra rectitudinis diuinae providentiae calumniatores haereticos, vel sciolos examinatores: in qua defecisse Deum, cum haec & nos alia meliora, imò mala physica creauit, ac moralia, seu peccata permisit, vt dixi. Aiuuntque primo: Deum à debito faciendi, quod melius, seu optimum esse omnino absolutum: quod conclusioni oppositae, non modo non fauet, sed formaliter, & immediate contradicit, solus pro reliquis Patribus audiatur Augustinus 3. de libero arbitrio cap. 5. vbi ait. *Ne forte dicant ea quae facta sunt, melius fieri debuisse*, atque, post varia, quibus hanc dictionem impugnat, his verbis concludit, *quidquid vera ratione melius occurrerit, hoc scias fecisse Deum & 1. contra aduers. legis. usque ad id desipendum est, vt homo videat aliquid melius debuisse fieri.* & Deum credat facere noluisse. Quibus adeo aperte de omissione melioris in rerum creatione, non quidem absolute, sed melioris debiti, siue, quod Deus facere debuit, Augustinus loquitur, vt mirer pro debito absoluto ad melius, seu optimum secundum se, ab aduersariis confidenter induci: & aliquot doctores, qui pro nostra sententia steterunt, quasi fulgure perterritos, in varios distrahant interpretationes: cum debitum absolu-

tum melioris, seu optimi secundum se Augustinus Deo eis testimoniis non asserat, sed quasi in hypothese ponat, solūque miretur, cum debito praestandi meliora indicari à nonnullis deteriora, non sine culpa, & vicio proprio non fatistaciendi obligationi ac debito suo Deum deteriora fecisse.

5. Atque, vt magis mireris horum, & similium testimoniorum pro aduersa sententia à suis Patribus absolutum, eis ipsis secunda alia generalis solutio, & germana nostrae conclusioni minime aduersa interpretatio continetur: imò aliorum discursuum, quos ex aliis Patrum sententiis aduersarij opponunt eneuatio. Perpende verba illa, quidquid vera ratione melius occurrerit, & haec sequentis testimonij postremi, *vt homo videat aliquid melius debuisse fieri.* Cum enim discursibus nonnullis non sine creatoris vitio aliqua in mundo facta, vel permixta procaciter haeretici contenderent, scilicet non sine Dei iniuria curiosius disputarent: quasi in dicto erroris, & ignorantiae ipsorum bello, varios inanes eorum discursus esse probant: atque eorum, quae pure mala, & incommoda esse contendebant vberes bonorum ex eis capiorum, capiendorumque fructus solidis rationibus ostendunt: quo eos doceant, & conuincant creatorem creatorum Deum hominibus ipsius opera fugillanibus, non potentiorum modo esse, sed artificem sapienterem, qui de malis ipsis in quibus nihil ipsi boni reperitur, tot bona, & scientia sua percalceat, & potentia producat: quare solum volunt Deum semper facere melius, seu optimum, non quidem quod in se, vel entitate tale sit, sed quod vera, ac non inani ratione hominum discursus, & ingenium assequi valeat, atque ad id credendum omnes praeteriti haereticos, & curiosos sciolos illos eis verbis hortantur.

6. Hac porro solutione ingens illa discursuum multis tot sectionibus à nostro Ruiz ex Patrum sententiis, & rationibus seruata subuertitur. Nimirum ex nostra sententia Patrum evacuati ponderationes grauissimas fructuum, & vtilitatum, quas Deus in rerum vniuersitate ex creatione, cum hominis, tum Angeli cum potestate peccandi, imò ex peccati permissione: ex postrema enim haec nostra solutio constat, quo ex omnes Patrum ponderationes tendant, nec debito sine ac soliditate canis, Cassani item, ac euanescent aiant Patrum, ac piorum omnium laudes & sapientiorum maiores artificis summo prestantas, ac debitas ob vniuersi atque artificis & dispositionis eius opus. Equis enim Archytectus, inquam, magni artificis laude à cordato homine alsequatur, quod casulam luteam, aut tuguriolum fecerit, scilicet ac luteare possit: sed quod fecerit ingens, & eximie dispositionis palatium, gymnasium, aut aedem, in qua eius et maxime eniteat & innoscat: vereor tamen, ne diuini artificis laudes praecipue ex aduersa sententia euacuentur. Si enim ad optimum faciendum necessitatem paratur, vbi operum eius honestas? Si quidem ex ea, & eae, quoad exercitium, ipsi relinquuntur, vt supra ostendebat, atque (minimū) praelatio optimi producti, cuiusque artificis prae deteriori necessitatis eadem non artis, atque electionis est aduersariis fatentibus. Itaque: vt summum sic laudari potest: quod fecerit optimum, cum facere aliud nequeat: quemadmodum adamus, & sol à Deo tenent, & lucent, quia nequeunt minus nitere, & illuminare: cum tamen praecipua artificis laus in operis electione sit.

7. Et quidem in luteae casulae, & tugurioli erectione, eiusque delineandae solius scientia, artificis laus non efficeret vero maxima artis laus, & illam, & reliqua, quantumvis perfectissima aedificia, eorumque structuram ingulis aptam sapientissime comprehendere: quia, vel minimum vel summum, eius artis opus artificis scientiam praetereat, illud autem ingentis laudis loco merito habetur, si in casula illa, & tuguriolo, tot tantaeque artis suae monumenta opifex posuisset, executusque esset vt artificum quantumvis excellentium reliquorum aeternitatem, & cogitationem longissime anteciret: tamen plurimum adhuc, & plurimum perfectiorum adhuc, & perfectiorum in infinitum scientia, & ideis instructum, & ornatum minutuli illius operis Artificem estimamus. Haec igitur supremi opificis Dei laus vltra estimationem creatam in venerabunda Patrum, & nostri omnium admiratione

miratione semper fuit, eique semper: in minutis quibusque eius operibus, & vilissimis, tantum artis sapientie, & potentie conditoris elucere, vt nulla rationalis creatura, nisi operis ipsius exemplari proposito, ea fieri posse, quæ in eo perspicit, arbitraretur. & sunt tamen in eo plura, quæ tota oculorum, discursuumque attentione, & diffinitione summa non assequitur. Vade ad fucinam vermiculum, nostros alii. Similes, non piger, sed solertissimus, vt ingenioli tui fastum deponas: cognoscesque, vel inuitus, nihil te tam accurate struere opus meditari posse, quod minutuli operis Dei structura non superet: indeque colliges Dei opera omnia, quam a te cogitari possunt longe esse meliora, vt Patres aiebant: quod si non ea tantum; sed veteris productis perflora in infinitum Dei potentia, mente, arte, & ideis animaduersas contineri, æstimatione, an mentis tue supior succedet?

8. Consequentias plures, & discursus à Spiritu Sancto in scriptis sacris propositos sublati Dei ad optimum necessitate clamat Ruiz euacuandas sect. 14. prima resurrectionis mortuorum ducta ex eo quod Exodus 3. dicitur Deus Abraham Isaac, & Iacob dicitur, *Deus autem non sit mortuorum, sed viventium*, vt arguit Christus Dominus Matth. 22. Marc. 12. & Lucæ 20. & Machab. 2. cap. 12. sine: *nisi eos, qui ceciderunt resurrexerunt sperantes, superfluum videretur orare pro mortuis*, etenim, & Deus illorum dici poterat ratione animarum viventium, & pro mortuorum animis facillima offerri, vt debitis penis soluerentur, atque adeo ex neutro loco resurrectionis mortuorum inferatur, ni supponamus Deum optimo, & congruentissimo modo rebus providere, ne scilicet animæ essentia sua partes, atque ad compositionem & coniunctionem cum corpore natura sua inclinata illo æternè priuaretur, ac delictorum virtutisque penas, atque in solidum inant. Sed certè plura ad iustam Saducæorum obliuionem à Christo Domino ob ignoranciam consequentiae resurrectionis ex locis illis ab eis agnita, siue agnoscenda argumentum supponit, quæ absque ignorantia vincibili, & reprehensione iusta tunc potuerunt ab eis ignorari. Primo enim si ignorata necessitate Dei ad optimum consequentia non tenet, hanc quidem ignoratur; imò absque ignorantia, vt ostendimus, scire non potuerunt.

9. Tenet autem consequentia absque huius, & reliquorum, quæ argumentum supponit scientia in vtroque loco ex verbis ipsis: ex quibus, non ostanter, lectis, vel auditis resurrectionem colligere debebant. Nam mortui non anima solæ, sed tota composita ex corpore, & anima sunt, quibus deficientibus vterius Deus eorum Deus, & dominus non magis esset, quam nos equi mortui, vel domus combustæ: quare, vt Deus post eorum mortem dici ipsorum possit, oportet, vt iterum sint, & proinde resurgant: similiterque, vt mortuis, nec solum eorum partibus (nempe animalibus) oratio viuorum, vt à penis soluantur, proficiat. Ac demum, vt reliquis ad id ab hoc doctore inductis consequentiis satisfactionis, satis est dicere (quod verissimum & notissimum est) ex his, quæ quilibet facere consuevit, & si ea faciat, sequeatur absque necessitate vlla, quid in simili occasione, vel vrgentiori facturus sit, cordatè colligi, & prout a nobis: quia ex factis ab ipso frequentissime illam saltem in eis, & similibus ita se gerere libere statuit, se (& si aliter, tam physice, quam moraliter posset) maximo argumento est: inde ordinaria lege, statuto, & providentia, quid Deus facturus sit legitime deducimus; & tamen extraordinaria providentia, sique potestate libere ad vnumvis voluntatis, dominioque rerum superueniente illum aliter facturum fatemur: quam diffinitionem potentie, & providentia Dei in ordinariam, & extraordinariam, ab vniuersa Philosophia, & Theologia receptam aduersa sententia prorsus eliminat. Siquidem, si aliter faceret, quam facit Deus, vt hi aiunt, non foret. Neque vllam in alterutro modo se gerendi difficultatem Deus de se habet, vt contra Iquierdo monstrauimus, certè, vbi strictiori consequentia ex scripturae preceptis satisfecimus. Neque ex sepe à se factis Dei voluntas inclinationem aut facilitatem habitalem atque ad oppositam difficultatem potest subire.

10. Denique opponit idem Ruiz sect. 11. sublati à Deo necessitate aliqua ad optimam rerum dispositionem & obiectiuam gubernationem tam physica, quam moralis, cunctam credibilitatis fidei nostre euidenciam aboleri. Hæc enim desumitur ex sanctitate, & doctrina eam prædicantium, coelestium, & sanguine suo eam profitentium, & timentium: item ex eius antiquitate, & continua diuturnitate, nullaque sui parte discordia, aut repugnantia, aliisque veræ fidei, & Ecclesie Dei notis datis à Valentia prima secundæ ad quæst. primam S. Thom. articulo quarto d. 1. quæstion. prima puncto 4. Bellarmino tom. 1. libr. 4. & fusilline à Bozio libris 24. totis de signis Ecclesie: etenim, ni Deus ad optimam gubernationem rerum obiectiuam, magis quam ad oppositam teneatur, potuit, atque stolidis, ac perditis hominibus reuelare suam fidem, atque multa ex his pro falsa doctrina disponere: quare ex factis iis à Deo in veræ fidei fauorem nullum euidens, adhuc moraliter, veritatis, & credibilitatis argumentum potest desumi: in primis obiectans ipse numero quarto fateatur posse absolute facere, vel permittere, vt ex eis plerique in fauorem doctrinae falsæ contingerent: quare, & esse Deum, est ita contigissent: ergo argumentum hoc morale Dei necessitatem ad optimum à se intantum, cui vtiq; si desisset Deus, Deus non foret, minime hic doctor probat. Secundo: nihil de necessitate Dei de se, naturæque suæ, & attributis suis necessarii ad optimum probat: supponitur enim libera Dei intentio suam fidem reuelandi, atque propagandi apud homines, ex qua ad media apta, & conducentia ad eam hominibus suadendam, præ ineptis, imò eius suasioni oppositis, tenetur eligere, vt diximus.

11. Sicuti, & quilibet ex vera, & non perfunctoria, adhuc inefficaci, huius finis intentione media ad finem conducentia, & inducentia, ac non ab illo avertentia (ni amens sit) apponere tenetur: cum autem hominibus ad fidem veram inducendis plus Prædicantium, & Professorum exempla, quam verba proficiant, si fidei paupertatis, & morum bonorum, quos illa docet audissimos, ac sceleratissimos quosdam elegisset eis destruendis; & si aliqui essent, euellendis media apponeret, quod ea intentione supposita vesanæ Deum argueret: quare, est alia, quæ ad propagandam fidem naturaliter conducere videbatur supernaturali sua providentia supplere, cum pauculos, pauperimos, atque illiteratos Apostolos, & discipulos elegit, vt fidei suæ orbem subigeret: suæ, vt ait Paulus, *stulta mundi elegit Deus, vt confunderet sapientes, & infirma mundi, vt confunderet fortes*: attamen neminem futuræ postmodum perditæ vitæ elegit, nec potuit; & si è Telonio Mattharum vocauerit, vt illorum sapientia, & de mundo victoria atque huius subita ad tantam Apostolicam paupertatem ex nimia auaritia, ac ex perditis moribus subita mutatio Deum, & fidelis, & sanctimonie vltra eorum vires, & naturæ inueteratam consuetudinem autorem clamarent: ac subinde eam doctrinam sectarentur: & hæc quidem in fauorem doctrinae falsæ, & erroris facere Deus non potuit: quia ad errorem tunc, & prauos mores inde naturaliter ortos, non physice solum concurreret, aut efficere sed moraliter, quia eos illis mediis suaderet: quod non solum minus bonum eligere, & facere; sed malum morale, & facere, atque in se admittere (quod Deo omnino repugnat) procul dubio foret. Hæc fusius persecutus sum, ne tanta autoritatum, & discursuum pro falsa assertionem, varietate, & mole veritas sententia nostræ apud minus eruditos, & laboriosos disputatores obueretur.